



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

154. De clausulis dispensationum, quæ apponuntur in litteris
Pœnitentiariæ, & primo, de prima clausula Discreto viro Magistro in
Theologia, &c. & Confessori ex approbatis, &c. Et advertitur errorem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

matum fuerunt considerata a doctissimis Aduocatis in quadam Congregatione, me etiam praesentem, coram docto, & Illustrissimo Domino meo Ferrimillo, in casu particulari ex Sicilia nobis commisso.

In quo magis procedebat doctrina superius apponitur, quia rescriptum super prima concessione expeditum vique de anno 1617, non fuerit executoribus praesentatum, vivente Urbano concedente, quoniam in eiusmodi concessio morte Papae concedentis expirata, prout ac si non fuisset obtenta, ut patet in terminis Beneplaciti Apostolici in forma sit in cuiusdem Ecclesiae vilitatem, resoluit Rota in recent. decis. 473. num. 3. part. 2. & decis. 306. in princip. atque in fine, part. 3. & coram Card. Mantica decis. 41. num. 2. & 4. cum seq. Senat. Catalon. apud Ludouicum de Peguera decis. 128. num. 2. & per totam, quibus adde Genentem in *Praxi Archiep. cap. 93. in no. 11. c. 15. in antiquis.*

RESOL. CLIV.

De clausula dispensationum, quae apponuntur in litteris Pœnitentiariæ, & primo de prima clausula, Discretio viro Magistro in Theologia, &c. & confessorii ex approbatis, &c.

Et aduertitur errorem esse vulgi litteras dispensationum frustrari suo effectu, si aperiantur, &c.

Sed difficultas est de confessore, qui fuit approbatus ab ordinario ad audiendas sacramentales confessiones, videlicet virorum dumtaxat, & non mulierum, vel e contra, non tamen ob defectum scientie, sed ratione iuuenilis ætatis; an iste possit exequi litteras in forma Breuis Sacræ Pœnitentiariæ ad fauorem mulieris, v. g. obtentus, vel e contra? Ex p. 1. 1. 103.

S. Pœnitentiariæ ad fauorem mulieris, v. g. obtentus, vel e contra.

3. Affirmatiuum sententiam docet Sanchez lib. 8. disp. 38. num. 16. quem sequitur nouissimè Pater Perez de matrim. disp. 48. sect. 5. num. 5. vbi sic ait: Vetus mihi videtur approbatum ab Episcopo cum limitatione personarum, non defectu scientie, sed ratione ætatis quod iuuenis sit, quod contingit dum approbatur ad audiendas solas virorum confessiones, posse eligi ad expediendas prædictas dispensationes, siue viris, siue feminis concessas. Ratio est, quia in eis litteris, dum petitur in expedituro approbatio Ordinarij vna cum gradu Doctoratus, spectatur potius scientia, ac rerum moralium peritia ad earum expeditionem. At hic vtrumque fuit scientie testimonium habens. Quod etiam firmatur, quia valde probabile est, censeri quoque hunc sufficienter approbarum, ut per Bullam possit ad vtriusque sexus confessiones eligi. Ita Perez.

4. Confirmatur hæc opinio; nam iste Confessor est approbatus ab Ordinario, & propterea de eo verificantur verba illa, *ex approbatis*. Præterea verba simpliciter prolata simpliciter debent intelligi; sed ista sunt simpliciter prolata: ergo debent simpliciter intelligi, & non cum supradicta limitatione.

5. His tamen non obstantibus, dicendum est, non posse exequi litteras Maioris Pœnitentiarij, nisi ad fauorem eorum personarum, ad quarum confessiones audiendas ab Ordinario admittus fuit, Emmanuel 1. tom. summa in 2. editione, cap. 60. conclus. 4. Petrus de Ledesma summa Sacramentorum, de Pœnitent. cap. 13. post primam conclusionem, dub. 7. Suarez tom. 7. de Pœnit. disp. 27. sect. 7. num. 3. & alij Ratio videtur clara, quia Maior Pœnitentiarius sequitur simpliciter approbationem Ordinarij: ergo præsupponit in exequutore suarum litterarum eam iurisdictionem, & auctoritatem, quam Ordinarius illi tradidit ad sacramentales confessiones audiendas, sed iurisdictione, & auctoritas fuit tradita cum limitatione: ergo præsupponit in dicto exequutore iurisdictionem, & auctoritatem cum dicta limitatione; ergo sicut ille fuit exclusus per Ordinarium ab audiendis confessionibus mulierum, vel e conuerso; ita etiam excluditur à Maiori Pœnitentiario.

6. Secundo, Maior Pœnitentiarius non magis intendit dictum Confessorem habitare, & approbare quam fuerit habitatus, & approbatus ab Ordinario: sed ab Ordinario fuit habitatus, & approbatus cum limitatione; ergo etiam à Maiori Pœnitentiario cum eadem limitatione habitatur, & approbatur ad exequendas prædictas Pœnitentiariæ litteras. Maior patet, quia in toto prædictarum litterarum corpore nulla reperitur clausula, ex qua dictæ approbationis ampliatio colligi possit.

Ad rationes in contrarium allatas.

7. Primo respondetur, verba illa, *ex approbatis* non verificari in dicto Confessore, quia intelliguntur de confessoribus simpliciter, & non limitatè approbatis. Nam propositiones simpliciter admittæ excludunt limitationes, & conditiones.

8. Secundo respondetur, quod verba simpliciter prolata, simpliciter debent intelligi, nisi materia, de qua proferuntur, excludat illam generalitatem, & requirat specialitatem (ut est in casu nostro,) vel nisi contrarium constet de intentione proferentis, ut supra probauimus. Et hæc omnia docet Pater Leone in *prax. pœnitent. part. 1. fol. 18*. Ego vtramque sententiam probabilem esse puto.

9. Et sententiam Sanchez, præter Perez tenet Portel in *dubis Regul. verb. Confessor aperiens litteras Papæ, num. 5*. vbi sic ait. Requiritur, quod talis Doctor sit confessor approbatus, circa quæ, nota sequentia

Sup. hoc in tom. 4. tr. 1. Ref. 2. & 14 aliis eius primæ adnot.

FLA N A E
O M N I A
O . I I I . I V . V
E . I I I

Quens de hac clausula sic asserit Salas de *Legibus, disp. 20. sect. 10. §. 3. num. 97*. Ad uentem errorem esse vulgi litteras dispensationum frustrari suo effectu, si aperiantur à non habente has qualitates: nam in solo exequente dispensationem requiruntur, Nomine Magistri in Theologia, Doctor etiam in Theologia intelligitur: quia ista nomina sunt synonyma, licet quædam Vniuersitates vno uentur, alia alio. Non sufficit esse publicum Professore Theologiæ vel decretorum, nisi in Vniuersitate approbata gradus dictos acceperit. Nec sufficit esse iuris ciuili Doctorum, nec sufficit esse promotum ad gradus Licentiat in Theologia, vel iure Canonico: nec quod Regularis sit Magister in suo Ordine. Ex privilegio tamen Gregor. XIII. possunt has dispensationes exequi Sacerdotes Societatis, modo sint approbati ab Ordinario ante expeditionem, vel executionem ipsarum. Eodem privilegio gaudent alij Mendicantes, ut docet Rodriguez tom. 1. *reg. quest. 63. ar. 8. in fine*. Debent tamen omnes specialem habere facultatem superiorum, ad talem executionem, alias dispensatio erit nulla. Quis verò Confessarius dicatur ab Ordinario approbatus, tractant Sanchez 3. *part. tom. 4. disp. 28. sect. 6. & 7.* & ceteri in materia de pœnitent. sufficit autem approbatus ab Ordinario, cuius approbatio, si de reuocatione non consistit, sed secundum communem errorem vulgi approbatio maneat. Ita Salas, & alij.

2. Sed difficultas est de Confessore, qui fuit approbatus ab Ordinario, ad audiendas sacramentales confessiones certarum personarum, videlicet, virorum dumtaxat, & non mulierum, vel e contra; non tamen ob defectum scientie, sed ratione iuuenilis ætatis an iste possit exequi litteras in forma Breuis

Tom. III.

sequentia. *Primum* sufficere, ut sit approbatus ab Ordinario quamvis esset occulte reuocata licentia superioris pro audiendis confessionibus, ita ut talis reuocationis detur error communis, id est ignoretur omnino talis reuocatio, etiam ab ipso Confessore. Si enim de illa constet, non poterit aperire. *Secundum* est debere esse approbatum ab Ordinario, & non sufficere approbationem Academicam alicuius. *Tertium* est, si sit approbatus cum limitatione, pro masculis tantum ob defectum aetatis senilis, tamen poterit eligi pro aperiendis his litteris, siue id petat vir, siue femina: quia cum alias sit Doctor, vel aequaleat Doctori iuxta sui Praelati iudicium, poterit sufficienter tales litteras aperire, & ad hoc diceretur sufficienter approbatus.

RESOL. CLV.

An semel Confessarius electus ex virtute litterarum dispensationis possit vigore eiusdem Bullae, inconsulto Maiori Penitentiario, variari?

Et an verosupradictas litteras aperiantur a non habente supradictas qualitates, suo effectu frustrantur, aut priuantur?

Et an peccet praedictas litteras aperiens, si illis qualitatibus praedictis non sit; si Ex part. 8. tract. 3. Ref. 104.

§. 1. **N**egatiue respondet Pater Leone in *praxi Penitent. part. 1. fol. 22.* si Confessor electus habeat condiciones praescriptas, & acceptauit suam electionem, cum inter *Canonicos 21. de elect. Nauarr. lib. 2. consil. in 2. edit. tit. de officio delegati, consil. 8. num. 1.* Praxi Neapolit. *cap. 21. de dispensationibus matrimonialibus.*

2. Probatur *primò*; quia sicut non potest eligi Confessor alius ab expresso per Maiorem Penitentiarium, ita neque potest variari electus vigore praedictae Bullae. Confirmatur; quia rescriptum diplomatis huiusmodi vicem tantum Confessarii electionem concedit. Sermo enim simpliciter prolatus, intelligitur de vnicâ vice. *l. boues 85. §. hoc sermone. ff. de verb. signif. Secundo*, quia iurisdictione legata, est iurisdictione delegans, *l. 1. §. qui mandatum: ff. de officio eius, cui est mand. iurisdic. Ergo* ad delegantem duntaxat spectat illam extendere, & non ad partes neque ad iudicem; id enim, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri nequit. *reg. 1. d. quod nostrum 11. ff. de reg. iur. Tertio*, quia iurisdictione delegata non potest de persona in personam, etiam de consensu, partium prorogari. *cap. P. & G. per litteras, 40. de officio deleg. Quarto*, si posset fieri huiusmodi variatio ultra casum ignorantiae repertae, inconsulto Maiori Penitentiario, multa inde inconuenientia sequerentur.

3. *Primò* enim facillimè declinaretur à Confessore prudente, docto, & discreto, ad imprudentem, ignauium, & indiscretum, quando per illum pensata qualitate absolutionis, dispensationis, &c. impendenda, imponeret penitenti canonica satisfactio, ac legitimae penitentiae adimplementum: quae ut plurimum penitentibus odiosa, nimis grauias, & quasi intolerabilia videntur. *Secundò*, gratuitas delictorum non sentiretur: Ecclesiae benignitas, diuinaque misericordia non cognoscerentur, paruipenderetur propria salus, & aperiretur via ad grauiora delicta perpetranda, cum non modica animarum iactura.

4. Limita tamen, quando eligens repetit electum esse ignorantem. *l. de atate, 12. §. finali, ff. de interrog. actio. Goffred. in summ. tit. de elect. n. 34.*

5. Nec obstat dicere, quod commissio in foro conscientiae facta sequitur naturam illius fori, quae est, ut penitens non teneatur acquiescere sententiae vnius Confessarii, sed possit plures adire, variare; & propterea Confessor electus vigore diplomatis Maioris Penitentiarii possit illo inconsulto variari.

6. Sed haec obiectio facillimè eliditur, respondendo, penitentem non teneri acquiescere vnius Confessarii sententiae, sed plures posse adire, quando non est ei praescriptus, & limitatus Confessor: secus verò est, quando à superiore est praescriptus Confessor, ut patet in Regularibus, quibus à superioribus praescribi solet Confessor, cui constentur, & tenentur illius sententiae acquiescere, vel à superiore facultatem petere alium eligendi, nec possunt per se ipsos id facere. Ita etiam penitens eligendo Confessorem vigore litterarum Maioris Penitentiarii, sibi deputat, non auctoritate propria, sed Maioris Penitentiarii nomine: ergo inconsulto Maiore Penitentiario non poterit illum variare.

7. Huiusmodi autem commissio Maioris Penitentiarii sequitur naturam fori conscientiae; quoad sigillum & secretum, non autem quoad libertatem variandi Confessorem: & nescio, quo fundamento dicatur intentionem, & voluntatem Maioris Penitentiarii esse, ut possit ipso consulto fieri huiusmodi variatio, dum expressè sit commissio Confessori, & non Confessoribus per Oratorem eligendis, &c. & ex tot annorum experientia contrarium mihi constat de mente Maioris Penitentiarii. Et hæc omnia docet Leone *loco citato.*

8. Sed non deseram hic adnotare, affirmatiuam sententiam docere Sanchez *lib. 8. disp. 27. num. 40.* quem etiam sequitur Perez *de matrim. disp. 48. scilicet 5. n. 7.* cui adde Lezananam in *summa 99. Regular. tom. 4. verb. littera Apostolica, n. 19.* vbi sic ait: An verò sit praedictae litterae aperiantur à non habente praedictas qualitates, suo effectu frustrantur aut priuantur, à nonnullis ambigitur. Et verior est pars negatiua, quia illae solum exiguntur pro executore dispensationem, non pro apertore litteras. Sanchez *suprà n. 11.* Naldus in *summa, verb. littera, num. 8.* peccabit tamen praedictas litteras apertens, si illis qualitatibus praedictis non sit, quia Papa, vel summus Penitentiarius solum id committit illas habenti. Naldus *ibid.* Casu etiam quod appetantur ab vno Confessario, & ille nolit dispensationem concedere, potest Orator alium adire, & ab eo ipsam obtinere. Ratio est, quia huiusmodi litterae concessae intelligentur conformiter ad formam, & naturam confessionis sacramentalis, in qua nullo iure constituitur penitens quin variare possit, cum non teneatur acquiescere opinioni vnius Confessarii, quoties alium inuenire potest habentem aliam opinionem probabilem. Naldus, & Bonacina *suprà*, cum Sanchez, & aliis contra Nauarrum *lib. 1. consil. de offic. delegat. consil. 8.* Imò ipse Confessarius, qui in principio noluit dictam dispensationem concedere, potest, mutata sententia, id postea facere, cum sapientis sit mutare consilium ex iusta causa, Bonacina *suprà* aliis relatis. Huculque doctus, & amicus P. Lezana, cui ego libenter adhaereo, & in facti contingentia olim consului.

RESOL. CLVI.

An Confessarius habens facultatem dispensandi suam per certam materiam, dispensatio sit valida, si in confessione sacramentali inter se illam fecerit, putando tam ipse, quam penitens non esse necessarium verba expressis facere?

Vel an sit necessarium iterum expressè dispensare, & profiteri